

Michael Einsperg

Triumphante Auspice Christo: Oratio De Glorioso Inclyto Et Laetissimo Victoriosae Ascensionis Christi Triumpho

Rostochii: Kilius, 1649


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn738375861>

Druck Freier  Zugang



Ru. Mus. 1649

Einspurg, Michael
Oratio



TRIUMPHANTE AUSPICE
CHRISTO:

ORATIO
DE GLORIOSO
INCLYTO ET LÆTIS-
SIMO VICTORIOSÆ ASCEN-
SIONIS CHRISTI
TRIUMPHO.



CONSCRIPTA

MICHÆELE EINSPERGIO,

Anno Salutis reparata 1649.



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILLI, Acad. Typographi

ANNO M.DC. XLIX.



VIRIS

Reverendis, Clarissimis, Doctissimis

Dn. M. JOHANNI KORFINO,

Dn. M. NICOLAO RIDEMANNO,

{ Apud Rostochien-
ses ad D. Mar. Eccle-
siasticis ut dignissi-
mis, ita vigilantissi-
mis.

UT ET

Præstantissimis atq; Integerrimis

VIRIS

Dn. THEODORICO HORNEMANNO,

Dn. JOHANNI EIBE LUERSEN,


Dn. GEORGIO Kindt /

Dn. JOHANNI Mohu /

Civibus Rostoch : primariis,

Dominis, Promotoribus, Fautoribus, summâ
Obseryantia honorandis in debitæ Obser-
vantiaε *την μητρον* offert.

MICHAEL EINSBERGIUS.



ILUVIO cessante, Viri R. C. D. Præst:

DInt: subsistebat Arca Noachi in Monte, Gen. 8. Seda- *Gen. 8.*
tum esse iræ divinæ diluvium ut innueret Christus, ve-
ra illa æterni fœderis Arca, in Monte stare & quiescere
voluit, antequam ascenderet. Ante quadraginta dies, in Monte
Oliveti gravissimum sustinebat agonem Dominus: jam ab hoc
ipso Monte ascendit in cœlum, ut devictos esse hostes innuat.
Mons Oliveti, ab Oleis ibi copiosè crescentibus semperq; virenti-
bus nomen habuit. Est autem Olea pacis Symbolum: In Scripturis
notat (1.) Gratiâ Dei, unde Columba, post sedatam Jehovah
iram, solum oleæ Noacho attulit, Gen. 8. (2.) & Donationem Spi- *Gen. 8.*
ritus Sancti Psalm. 45. v. 8. Psalm. 89. v. 21. A Monte igitur Olearum *Psalm. 45.*
Christus ascendere voluit, ut doceret, quòd Evangelium ex hoc *Psalm. 89.*
Monte per Apostolos propagandum, sit Doctrina gratiæ & pacis:
quod etiam per totum suum curriculum, cujus clausula fuit Ascen-
sio, nihil aliud spectarit, quàm ut Gratiâ Dei, pacem cœlestem, &
Spiritus S. dona nobis impetraret, suoq; abitu regnum æternæ, &
aliàs inaccessæ lucis nobis aperiret. Has quoq; res jucundissimas,
veri Christiani omnes, hoc præsertim anni tempore latissimo, ani-
mis, quam maximè intentis contemplantur, meditantur, Salvatori
suo ac Triumphatori Christo Jesu, pro tot tantisq; beneficiis gra-
tias agentes. Quorum Consideratione commotus, & ego Oratiun-
culam hanc, qualiscunq; sit, in Jesu mei honorem conscribere, vo-
bis autem V. R. C. D. Præst. Int. in debitæ Observantiæ *την κηρυξιν*
inscribere volui & debui: Planè mihi persuasum habens, vos labo-
rem hunc meum placido vultu, qui animi benevoli indicium est,
accepturos esse. Bene & feliciter in Jesu Christo valete, Rostochij,
Anno æræ Christianæ 1649. Mense Majo.

V. R. C. P. I.

Observantiss.

Michael Einspergius.



Rofanorum Authorum Scripta, quae vel gubernanda Reipublica rationem monstrans vel Valetudinis conservanda tradunt praecepta, vel occulta Natura in lucem proferunt, vel corporum caelestium incredibilem magnitudinem, distantiam, motum, cursumque metiuntur, vel hominis animum virtutibus, mentem variarum rerum noticia, linguam Eloquentia facultate instruunt, vel quaecumque ratione alia hominis ingenium exercent, magni fieri solent. Et sane habent haec suum locum, suam utilitatem & fructum, suam in sacris literis quoque laudem & commendationem. Neg enim cum Anabaptistis facimus, qui has liberales Artes, Scientias ac Disciplinas, velut ab Ethnicis profectas, pro Pharisaeico suo fastu reprobant, quas tanquam Dei salutaria dona gratis mentibus exosculari conveniebat. **JURIS PRUDENTIAM** certe, si Leges suas ad Legem Naturae & Decalogi Moralem componat, ab Evangelio comprobari certum est. Siquidem, post abrogatam Politiam Israelis, ablatumque à Juda Sceptrum, omnes homines praesenti Magistratui, ejusque Legibus & Statutis legi Dei consentaneis; Apostolo teste, subjiciuntur.

Rom. 13.

MEDICINAM porro Syracides ille, Theologica Eruditionis & Sapiencia laude celebris, majorem in modum praedicat & extollit, libri sui trigesimo octavo capite.

Syrac. 38.

Rerum naturalium Cognitio seu Physiologia probatur in Adamo imponente cunctis animalibus nomina sua cujusque Natura congrua: Gen. 2. Laudatur in Salomone, quem ex fontibus Philosophiae naturalis de proprietatibus animalium, volucrum, Piscium, Arborum item, ab Hysopo è Parie-

Gen. 2.

è *Parietibus enascente, ad Cedrum usq; Libani summa cum admiratione differuisse constat* 1. Reg. 4. *Philosophia Moral* 1. Reg. 4.
is verò manifestum est Legis Naturalis hominum mentibus impressa vestigium, adeo ut hinc Paulus quoq; legis Opus Rom. 2.
cordibus gentium in scriptum memoret, Rom. 2. v. 14. 15. Rom. 2.
Sed & *Astronomia sua constat Laus praclara, quippe* v. 14. & 15

qua gentibus etiam consemplanda aeterna potentia Dei materiam subministravit, Rom. 1. Cujus ductu quoq; (prae- Rom. 1.
cente tamen Verbo, & gubernante illos Spiritu sancto)
Magi orientales ab quarendum in Judea recens natum Regem illum Hebraorum, è longinquis Oris exciti sunt. Hinc
adeo clarissimi sanctissimiq; Prophetae, Moyses & Daniel, ab
harum quoq; Disciplinarum cognitione celebrantur, quando
ille quidem in omni Sapiencia Aegyptiorum, & liberalibus
illorum artibus: Hic verò una cum sociis suis in Chaldaorum Dan. 1.
litteris atq; linguis institutus perhibetur, Dan. 1. Act. 7. Act. 7, 22

Verum enim verò quid profanorum Authorum scripta quantum vis per se praclara, si conferantur ad divinisimum illum Codicem sacrorum Bibliorum? Hic enim solus nobis caeli adyta pandit, Dei Voluntatem ex inaccessa & aeterna Curia ipsius profert, Deum ipsum per consubstantialem λόγος generi hominum colloquentem introducit, mysteria revelat cunctis retro seculis incognita: hoc mediante Spiritus Dei tum certitudinem Doctrinae Concionibus atq; scriptis Prophetarum & Apostolorum tradita sancit, tum gratiam Evangelii voce promissam in cordibus Electorum obsignat: Hic liber omnibus infirmitatibus animarum unice medetur, usq; contra Diabolum, Peccata, Mortem & aeternam Damnationem solatium praebet, totum scilicet Opus Redemptionis, & Satisfactionis, pro peccatis totius Generis humani, per Christum facta, nobis ordine recensendo. Tradit enim Volumen hoc sacratissimum, summaq; Reverentiâ dignissimum

simum miserissimo Generi humano, quod horribili primorum
parentum lapsu in Peccatum & Mortem precipitatum esset,
Gratiam & Pacem per JESUM Christum relatam & ob-
latam esse. Hic enim S. Scriptura teste unicus & unice di-
lectus Dei filius, iustus pro injustis, potens pro infirmis, locu-
ples pro pauperibus, gratus & acceptus Deo patri suo pro no-
bis miseris peccatoribus iram & maledictionem, pœnasq;
aeternas pro meritis, immenso & infinito suo merito satisfecit
& mortuus est. Sed propter justitiam nostram tertio die,
sua equidem virtute à mortuis resurrexit, & die post Rejur-
rectionem 40. non Romanum, sed caeleste Capitolium tan-
quam Victor & Triumphator magnificentissimus conscendit
captivitatem aeternam captivam duxit, Scyrios principatus
& potestates expoliavit, expoliatasq; palam traduxit, atq;
hoc modo omnibus, salutis anchoram in ipsum figentibus,
amissam patriam plenissime recuperavit, recuperatamq; re-
stituit: De hac gloriosa Salvatoris nostri Jesu Christi in Cæ-
lum Ascensione, & magifico Triumpho, ad grata mentis
erga Christum meum significationem, pro mea tenuitate,
pauca eaq; simplicia scribam. Vestras autem humanitates
ut hac benevolis excipiat animis per amanter oro.

Ecclesia sancta hoc festo grata mente, summo cum ju-
bilo, summoq; cum applausu Victori ac Triumphatori nostro
præstantissimo Glorie & laudis hymnos dixit & decantavit.
Cumq; non minor ad nos quam ad omnes omnino Christia-
nos ex gloriosa CHRISTI Ascensione profecta sit utilitas,
quis nostrum queso foret tam ingratus tam inhumanus, atq;
ab omni pietate & honestate alienus, qui hunc Triumphum
inclitum, lætissimum, clarissimum, summo honore, summaq;
laude prosequendum dubitaret? Sed cujus tantum ingenij
flumen, cuinam, tam erudita manus, qua non dicam exor-
nare, sed pro dignitate describere Triumphum hunc glorio-
sissimum

ssimum posset? Alcibiades equidem, in inveniendis omnium erat acutissimus, referente Plutarcho, hoc autem non prestaret; Neq; Archimedes, ingenii acumine in Geometricis praestantissimus, hac delinearet, Quid tibi, mi Cicero eloquentissime, videtur, tunc tibi hoc sumeres? Qu. sane Horrensus sua in dicendo gravitate hic obmutesceret. Angelicum enim imo divinum hac requirunt ingenium.

Non enim Ψιλῶ ἀνδρῶν ἑπιφανῆς Triumphum hunc duxit insignem, non Alexander Magnus Macedonum Rex, Heros ille fortissimus, non Romulus, non M. Marcellus, qui Anni balem primus vinci posse docuit, Gallorumq; Regem, juxta Padum flumen, magno exercitu stipatum, cum paucis Equitibus invasit, eundemq; prostratum obrunctum, armis exiit, eaq; Jovi dicavit: non Cn. Fulvius Flaccus vel alius quispiam victor hostium Romanorum praclarissimus: Sed filius ipse Dei JESUS CHRISTUS aeternus, omnipotens, immortalis. Quos autem & quales superavit Hostes? Non equidem iratos, ob raptas in spectaculo Virgines, Sabinos: Non Samnites multa cum Romanis bella gerentes: Non Insulanos Sardos. Non Cives Vejos, neq; Carthaginenses, aliosq; his longè potentiores bello devicit, sed perverſi, immundiq; Mundi, infinita Diabolorum turba, peccati mortis & inferni Victor & Triumphator excellentissimus existens, omnium hominum causa, quotquot ab initio Mundi vixerunt, etiamnum vivunt, & ad extremum usq; diem victuri sunt, triumphavit, qua quidem omnia tam magna sunt, tam praestantia, tam praclara, ut vix ac ne vix ea cujusquam mens aut intellectus ne dicam manus attingere describere ve possit.

Virgil: Dionisi in Antiquitatibus:

Ego vero aliter non possum: facio igitur cum Comico, ut queo, quando, ut volo & par est, non licet.

Clemen-

Clementissimus Dei filius, Salvator noster Christus Jesus miserrimi generis humani misertus, sese λόγος sufficientissimum pro universi Mundi peccatis offerens, certo & completo Tempore e caelis descendit, atq; humanam naturam in utero Mariae Virginis assumit, pauper nascitur, cum hominibus suavissimè ad annum aetatis 33. conversatur usq; completus pro nostris peccatis patitur, crucifigitur, moritur, & tertio die resurgit: imo, in hoc Mundo quadraginta dies à lacrimosa sua Resurrectione ad beatissimam usq; Ascensionem amantissimè cum suis Discipulis alijsq; pijs collocatus & conversatus est, ostendens illis Gloriam suam, ad quam propagandam Apostoli in totum terrarum Orbem ablegabantur. Ac si fuit ulla unquam jucundissima in terris familiaritas vere suavitatis aue voluptatis plenissima haec certè CHRISTI cum Discipulis familiaritas fuit: Nam cum Officium sibi ab aeterno patre demandatum fideliter praestitisset; omniaq; pluribus ante seculis, variis plurimis à Spiritu S. per Patriarchas & Prophetas de ipso praedicta atq; decantata ad amussim usq; implevisset, omnes hostes fortiter devicisset, captivos ex Diaboli captivitate eripuisset, totius generis humani factus est propugnator atq; Redemptor; gloriosissimam tandem debellatis acerrimis suis hostibus obtinuit Victoriā, & egit triumphum; quem quidem non flagitavit, uti permultos Romanorum Duces ambitiose flagitasse certum est; Sed ultra ipsi à Patre caelesti talis est delatus, qualem nec Romanorum quisquam conspexit unquam, neq; Victori ac Triumphatori, etiam fortissimo, contingere unquam potuit: Unde Psalmus 47 admonet, ut ponderantes triumphum & Ascensionem Christi, gaudeamus & letemur, sicuti letantur, qui Dominos suos triumphantes devictis hostibus excipiunt, & triumphalibus acclamationibus prosequuntur. Verba ita ha-

habent: Omnes Gentes plaudite manibus, jubilate Deo in
voce exultationis, quoniam Dominus altissimus terribilis
est, Rex magnus super omnem terram, ascendit Deus cum
jubilo, & Dominus cum voce tuba, psallite, psallite Deo,
psallite, psallite Regi nostro, quoniam Deus est Rex totius
terre, Deus est Rex super gentes, Deus sedet super sedem
sanctam suam. Quae verba nihil aliud innuunt, quam
quod Christus ascenderit ad Caelos, sedeat ad Dextram Pa-
tris, siquidem haec ascensio est triumphus Christi, ex pra-
lio, quod fuit illi cum hostibus nostris, nimirum peccato, mor-
te inferno & diabolo, reversi: & reportantis victoriam
de illis hostibus nostris ab ipso devictis, quos in suo triumpho
captivos duxit, ut Psalmo 68. v. 19. & ad Ephes. 4. v. 8.
dicitur: Ascendit CHRISTUS in altum, captivam
duxit captivitatem, distribuens dona hominibus. Et
Colos. 2. v. 13. Vos cum mortui essetis in delictis, & pra-
putio Carnis vestrae convivificavit cum illo: remittens vobis
omnia delicta, delens quod adversum nos erat, Chirogra-
phum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de
medio, affigens illud cruci, & expolians principatus & po-
restates traduxit confidenter, palam triumphans de illis per
semetipsum. Non enim simpliciter ascendit in Caelum, ut
Elias, quem igneo curru in Caelum subvectum esse S. Scriptu-
ra asserit 2. Reg. 2. neg. ut Enoch, quem à Domino translatum
esse, attestatur Gen. 5, Sed ita ascendit, ut sedeat ad dexter-
am Patris, id est, regnet cum Patre pari Majesta-
te, omnipotentia & dignitate in secula infinita. Quicumque
autem ex Romanis Ducibus triumphum promereri cupiebant
illis à Magistratu missis legitimè bella erant suscipienda ad-
versus hostes apertos, pro subditorum salute, totiusque populi
Romani gloria: Bella enim non rite indicta, neg. cum le-
gitimo hoste gesta, nunquam Triumphum merebantur.

B

Itaq

Psal. 47

Pf. 68. v. 36

Eph. 4.

v. 8.

Col. 2. v. 23

2. Reg. 2.

Gen. 5.

Itaq; P. Scipioni ob recuperatas Hispanias, & M. Marcello ob
 captas Syracusas triumphus non decernebatur, quod ad eas
 res gerendas, sine ullo missi erant Magistratu. Sed quid iste
 Triumphator, quem Paulus describit? Is profecto in tam su-
 blimi constitutus est Magistratu, ut ipsi nec pratoria potestas,
 nec Consulis dignitas neq;. Dictatoris honos, imo nec impera-
 toria Majestas ulla ratione aequiparari possit. Omnia enim ipsi
 Matth. 11. à Patre sūt tradita Omnis potestas in Cælo & in terra ipsi data
 Matth. 28. Omnia ipsius pedibus subjecta sunt. ipsum Deus exaltavit, &
 Psalm. 8. dedit illi nomē, quod superat omne nomē, ut in nomine JESU
 omne genu flectatur, caelestium, terrestrium, & inferorum
 omnig. lingua confiteatur, quod Dominus JESUS sit
 Christus ad gloriam Dei Patris. CHRISTUS enim ascen-
 dens in cælum non tantum est Rex, sed etiam caput Ecclesie,
 cum quo nos conglutinati sumus in fide per Spiritum ipsius,
 habitantem in nobis, sicut membra cum capite conglutinata
 sunt: quod non Roma sedet, sed ad Dextram Patris. De-
 inde & à Deo ipso, & per pracones verbi sui legitima rati-
 one hoc bellum hostibus indictum fuit, Gen. 3. Deus ipse in-
 quit: Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen
 tuum, & semen illius ipsum conteret Caput, &c. Item
 Gen. 3. Osea 13. De manu mortis liberabo eos, de morte redimam
 Ose. 13. eos, Ero mors tua o mors, morsus tuus ero o inferne, &c.
 Hostes autem contra quos victor & triumphator noster glo-
 riosam obtinuit victoriam, sunt: Primo, Peccatum quod
 suo abolet sanguine, dum se offert victimam pro totius ge-
 neris humani peccatis. Deinde Mors, qua in totum exuta
 armis est, & absorpta in victoriam, cuiusq; aculeus omnino
 sublatus: Adhæc Chirographum legis est nullum, quippe
 attestante Apostolo Cruci affixum, planeq; deletum. Deniq;
 quia per hunc victorem peccatum sublatum, mors destructa,
 Chi-

Chirographum legis enervatum, arma diaboli omnino con-
fracta, dissipata, abjecta, etiam ad inferna usq; descendit,
atq; omnem Diabolorum vim omnemq; potentiam confrin-
git & destruit. Hoc, hoc & non alio modo triumphum egit
de peccato. triumphum egit de Murdo, triumphum egit de
Morte, triumphum egit de inferno, triumphum egit de Dia-
bolo. Neg; nostro Triumphatori obijci potest, quod un-
quam in omnibus Certaminibus cum Morte & Diabolo ge-
stus, in fugam se conjecerit. Nihil horum; Sed Victor &
Triumphator noster non solum presente Angelorum myria-
de infinita, tanquam fortissimus MICHAEL in certa-
mine & acie fortiter constitit: Verum etiam in horto &
Olivarum Monte cum Diabolo provocatam durissimam com-
misit, eum felicissimè solus superavit. Unde quicquid effecit
quicquid gessit, omne est ipse: Socium victoria sua habuit
neminem: totum illud quantumcunque est, quod certè
maximum est, ipse. Nihil sibi ex ista victoria Alexan-
der Magnus, vel aliorum Imperatorum seu Regum quis-
piam, qui ab initio Mundi vixerunt, vel sanctorum Aposto-
lorum, vel constantissimorum Martyrum, & ne Angelus
quidem de cælo decerpit, quin etiam nec omnipotens ejus
Pater cælestis sese in hujus gloria laudem offert, sed is siccedit
ejusq; totam & propriam esse fatetur. Neg; etiam de
Christo dici potest, quod de Philippo Macedone Apollo protu-
lit:

Flet victus, sed victorem Mors atra peremit. Nam hic
Dux, hic victor atq; Triumphator nullo unquam tempore
mori post hac subiectus esse potest. Qui enim hic? per
quem Mors sublata est, atq; in aeternum exilium precipitata,
uti 1. Cor. 15. extat: Absorpta est Mors in Victoriâ. Mors
ubi est Victoria tua? Ubi est Mors stimulus tuus? Isne Vi-
ctoris esset Dominus, quem idem triumphans captivum ducit

Talem autem victoriam merito triumphus sequitur latissimus, nullis plane curis sive angustiis turbatus atque impeditus. Sed antequam apud Romanos latissimi triumphi Exordium fiebat, undique tubicines emittebantur, qui clangore tubarum omnibus testum illud latissimum instare significabant, quibus deinde primus in pompa locus attribuebatur: Sic noster Victor, priusquam gloriosissimum ordiretur triumphum, emisit suos tubicines, Prophetas nimirum, Patriarchas, omnes sanctos Patres atque Ecclesie Doctores, cum sacro verbi Dei ministerio, tanquam voce tuba, qui toti Mundo, hunc victorem & triumphatorem praeforibus esse denunciarunt, currumque triumphalem in gloriosa Ascensione quasi precesserunt. Post hoc apud Romanos incedebant illi, quires preciosas hosti detractas exhibebant spectandas: Sic noster victor in suo triumpho spolia exutis & debellatis hostibus erepta atque detracta duxit. Quae sunt illa? Legis Chirographum, Crux, flagella, lancea, omniaque Diaboli ignita tela: haec sequebantur Peccatum, Mors, damnatio legis, omniaque in commoda, generi humano ab hostibus structa & parata: quin hostis ipse infensissimus Diabolus carthævis vincens atque ligatus, omni potestate sua & vi privatus tristi incescit vultu. Quem tandem omnes heretici & tyranni tanquam ejus amici & familiares tremebundi summo merore, restudineo gradu subsequuntur. Ut autem promiscua Milicum & Romani populi multitudo cum procedentibus Ducibus, Capitaneis & militibus carmen triumphale in victoris laudem & honorem lata & clara voce cecinit: Ita nostro CHRISTO summo cum júbilo à tota sancta triumphante Ecclesia laudes & gratiarum actiones sunt decantatae. Post omnes Capiteos Victor Romanus in sedebat Sella Eburnea in curru triumphali aureo, quo vehebatur per mediam Urbem ad Capitolium à quatuor candidis equis

equis. Sic Julium Casarem ante currum triumphalem
quatuor Elephanes duxisse, Furium Camillum albis equis
vectum esse legimus. Ad hunc modum Filius Dei tandem
in Bethania (id est domo luctus distante dimidio miliari fer-
mè ab Urbe Hierosolyma versus meridiem) ubi saepe preca-
tionis & concionis causa versatus est Christus atq; pernocta-
vit, imò cum morte etiam luctatus est, & à Judais captus
Hic congregatis Discipulis, de multis rebus necessariis atq;
utilibus familiariter cum illis collocutus est, & inspectante
Cetu frequente, visibili specie ab illis discessit. & curru tri-
umphali impositus Capitolium caeleste occupavit. Quere-
re autem quis posset, cur visibili specie ab illis discesserit:
Sed simpliciter & brevissimè responderi potest; Ideo ipsius
migrationem visibilem & corporalem fuisse, ut planum fie-
ret, quod verè resurrexisset illa ipsa carne, quam ante mor-
tem ex utero Mariae Virginis assumpserat, quam post resur-
rectionem incredulis Apostolis contrectandam prabuerat,
ut Apostolis opinionem de suo regno mundano eriperet, qua
tunc prorsus evanescebat, cum è terris in caelum migrasset.

Testes hujus rei fuerunt Angeli, alloquentes spectan-
tem caetum in hunc modum: Quid admiramini. Talis omni-
no est reversurus, qualem vidistis ascendentem, nempe vi-
sibiliter cum corpore & anima, & ea ipsa quidem specie, qua
sublatus est: Non enim Christus manufacto vehiculo, neq;
auxiliantibus carpenis vectus est, sed natura divina pro-
pria usus virtute carnem caelo intulit, & corpus glorifica-
tum in Patris conspectum attulit: Neq; indignis vectori-
bus Angelis, ut offendicula tollerent è medio, eumq; porta-
rent manibus, sed ut precedentes & subsequentes applaude-
rent, & concinentes in jubilatione modularentur cantica
nova. Celebrant igitur tanti triumphi magnificentiam
betabundi caelestes exercitus, & qui ante tres & triginta

Esa. 6.

annos descendenti coram pastoribus Bethlehemiticis decan-
tauerant in sublimi praecomia. modo intensioribus jubilis, re-
vertenti ad Patrem acclamant. Atq; ita magno júbilo &
inenarrabili letitia & gaudio à castis Angelis & tota caelesti
militia Christus excipitur, & universus Angelorum Cho-
rus Christum Victorem & Triumphatorem excipiens, cla-
mat: **SANCTUS, SANCTUS, SANCTUS** Do-
minus Exercituum, plena est omnis terra gloria & Majesta-
tis eius. Quomodo autem Victores Romani in tri-
umpho dona distribuere solebant: ita Victor & Trium-
phator noster Christus omnis generis bona & dona suis di-
stribuit, inter quae praecipuum & maximum est Spiritus S.
qui Sacramentorum verbiq; ministerio in toto terrarum Or-
be sibi colligit Ecclesiam, collectam sanctificat, sanctificatam
gubernat, & infinitis simul ac inenarrabilibus bonorum ge-
neribus cumulatam ornat. Neq; vero victor hic noster ea
negligit, quae ad corporis sustentationem necessaria viden-
tur, sicuti nec ab initio Mundi ea neglexit, uti ex S. Scrip-
tura testimoniis atq; Exemplis tum Veteris, tum N. Testa-
menti satis abundè apparet. Omnia bona, quae ad vitam
ornandam pertinent, ipse Christus largitur cumulatissimè,
rogatus suppeditat lubentissimè, adjicit promissimè. Mag-
na quidem haec sunt beneficia: majora tamen his illa, quod
nimirum Christus non solum sibi, sed & nobis triumphaverit
Neq; enim solum potentissimos hostes sua vi & potentia in-
finita feliciter superavit, verum etiam aeternum Patrem pro
nobis interpellat, ut nos suo sanguine & victoria liberatos,
in Gratiam clementissimè suscipiat. Itaq; Apostolus in
fide gloriatur & triumphat, Rom. 8. dicens, Quis accu-
sabit electos Dei? **DEUS** est, qui iustificat. Quis est,
qui condemnet? **CHRISTUS** est, qui mortuus est, imò
qui etiam resuscitatus est, & est ad Dextram Patris & in-
terce-

Rom. 8.

recedit pro nobis. 1. Job, 2. Si quis peccaverit Advocatum 1. Joh. 2.
habemus apud Patrem, JESUM CHRISTUM. O im-
mensam triumphantis CHRISTI Vim! O Præstantiam
tanti benefici inenarrabilem! quo Patri æterno reconcilia-
ri & recepti filii Dei, ac coheredes æternæ vitæ, paternorumq;
bonorum omnium efficiamur, quo dona Spiritus S. copiose &
abundanter consequimur: quo in societatem celestium bo-
norum recipimur: quo nobis amplissima trophæa relicta;
fidelissimum & cutissimum Calamitatum nostrarum asy-
lum constitutum; Deniq; cujus memor ipse filius Dei nos suos
filios in curru triumphali ad æternam gloriam & maje-
statem, magna & ingenti pompa tandem evchet, & ad se
assumet. O insignem triumphum? O Victoriæ perpetua
non solum memoria, verum etiam æternis laudibus dignis-
simam! Neq; nos moveant illi, qui CHRISTUM certo
cæli loco volunt inclusum, & præsentiam ejus in multis locis
præferim iis, in quibus se esse & ad futurum perspicuè affirmat,
negant. Si argumenta, qua præ se ferunt, verbo Dei subij-
ciantur, subito corrumpunt ac dissipantur, non secus atq; gla-
cies radiis solaribus exposita continuo solvi atq; evanescere
consuevit. Quidenim tam ab omni mente alienum est,
quam in exhaustam Dei Sapienciam, & immensam ejus po-
tentiam cui nihil impossibile, modicus natura regionibus in-
cludere velle? Sed missis illis, nos Deo pro tanta beneficio-
rum magnitudine, triumpho suo partem gratias agamus:
Jesus Christus, victor & triumphator gloriosissimus nobis
obsignet fructus ascensionis suæ, largiatur Patientiam &
spem immotam, sursum elevet animas nostras, ut in Cælum
ascendamus hic Spiritu, donec cum omnibus Sanctis ascen-
damus glorificatis Corporibus, idq; fiat propter victri-
cem ascensionem suam, pro qua ipsi etiamnum
sui Gloria in seculorum secula,
Amen.


APPEN-


APPENDIX.

D. N. S.

<p>Ach trewer Hott / HERR Jesu Christ/ Du vnser Gott vnd Bruder bist/ In zwo Naturen ein Persohn/ Dhn Endrung vnd Confusion/ Des Vaters Word vnd rechte Hand/ In vnser Fleisch zu vns gesand/ Welchs nun durch dich erhöhet ist/ Zur Rechten geses / O Jesu Christ Gib daß wir dich erkennen rechte/ Bey deinem Wort bleiben fest vnd schlecht/ Vnd Ehren dich vnd ruffen an/ Vnd sind dein liebe Vnterthan. Straff du durch deine rechte Hand/ Die deinem Gwalt thun Widerstand/ Vnd meiffern dein Allmächtigkeit/ Vnd deines Worts Beständigkeit. Schrecklich ja solchs zu hören ist/ Noch geschicht es HERR / mit trug vnd list/ Dadurch verwirrt dein Christlich Gmein/ Seuffzet vnd schreyt zu dir allein/</p>	<p>HERR rett dein Ehr/die Ehr ist dein/ Du Ehren-König zeug herein Beweis dein Macht Herr Jesu Christ/ Der du HERR aller HERRen bist/ Verteidige dein Herrlichkeit Dein Majestät zu aller Zeit Erhalt vns HERR bey deiner Ehr/ Vnd wehr der losen schwächer Lehr/ Die dich Gott vnd Marien Sohn Eürken wollen von deinem Trohn/ Vnd lassen dir dein Allmacht nicht/ Ihr Sinn ist nur dahin gerichte/ Das sie verkehren deine Wort/ Vnd bringen ihren Irrthum fort: Ihr Phantasymuß höher seyn Denn deine Macht vnd Krafft allein/ Menschlich Vernunft ist ihre Kunst/ Dein Warheit sol jez sein umbsonst. Da hüt vnß HERR vnd rett dein Ehr/ Stürg alle Tand vnd falsche Lehr/ Erhalt vns ja bey deinem Wort/ Vnd laß vns leben hie vnd dort. A M E N.</p>
--	--







ercedit pro nobis. 1. Job, 2. Si quis peccaverit
habemus apud Patrem, JESUM CHRISTUM
mensam triumphantis CHRISTI Vim! O P
tanti benefici inenarrabilem! quo Patri eterno
ri & recepti filii Dei, ac coheredes aeternae vita, pa
bonorum omnium efficiuntur, quo dona Spiritus
abundanter consequimur: quo in societatem ca
norum recipimur: quo nobis amplissima troph
fidelissimum & cutissimum Calamitatum nostr
lum constitutum; Denique, cujus memor ipse filius
os filios in curru triumphali ad aeternam gloriam
statem, magna & ingenti pompa tandem evche
assumet. O insignem triumphum? O Victoriam
non solum memoria, verum etiam aeternis laudi
simam! Neque nos moveant illi, qui CHRISTUM
caeli loco volunt inclusum, & praesentiam eius in
praesertim iis, in quibus se esse & ad futurum perspicua
negant. Si argumenta, quae praeseferunt, verbo
ejantur, subito corrumpuntur ac dissipantur, non secu
cies radiis solaribus exposita continuo solvi atque
consuevit. Quid enim tam ab omni mente au
quam in exhaustam Dei Sapientiam, & immens
rentiam cui nihil impossibile, modicus natura reg
cludere velle? Sed misis illis, nos Deo pro tanta
rum magnitudine, triumpho suo parta gratia
Jesus Christus, victor & triumphator gloriosus
obignet fructus ascensionis suae, largiatur Pat
spem immotam, sursum elevet animas nostras, ut
ascendamus hic Spiritu, donec cum omnibus San
damus glorificationis Corporibus, idque fiat propter
cem ascensionem suam, pro qua ipsi etiam
sit Gloria in saeculorum saecula,
Amen.

Joh. 2.

